

SENTENTIA DIFFINITIVA

Illustrissimi, ac Reuerendissimi D.

REVERENDÆ CAMERÆ APOSTOLICÆ GENERALIS AVDITORIS.

Ad fauorem Venerabilis Religionis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum.

Contrà Venerabilem Religionem tàm Calceatorum, quàm Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum super legatis, à fidelibus relictis, & relinquendis sub nomine Beatæ Mariæ Redemptionis.

PROSPER Caffarellus Prothonotarius Apostolicus, Vtriusque Signaturæ Sanctissimi Domini Nostri Papæ Referendarius, nec non Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanæq. Curiæ Iudex ordinarius, sententiarum quoque, & cen-

& censurarum tàm in eadem Romana Curia, quàm extrà eam latarum, ac litterarum Apostolicarum quarumcumque vniuersalis, & merus Exequutor ab eodem Sanctissimo Domino Nostro Papa specialiter deputatus. Vniuersis & singulis hoc præsens sententiæ Instrumentum visuris, lecturis, pariterque audituris salutem &c.

Noueritis, quod in causa, & causis olim vertentibus coram Nobis inter Venerabilem Religionem, & Patres Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum in Ecclesia Sancti Hadriani de Vrbe Actores ex vna, & Venerabilem Religionem, & Patres Calceatos, & Discalceatos Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum in Ecclesijs Sanctæ Franciscæ Romanæ ad Capita Domorum, & Sancti Caroli ad Quatuor fontes de Vrbe Reos conuentos partibus ex altera super iure, & pertinentia legatorum relictorum, & relinquendorum sub nomine Beatæ Mariæ Redemptionis Captiuorum; Nos denique visis videndis, consideratis considerandis, seruatisque omnibus de iure, & stylo nostri Tribunalis seruari solitis, & seruandis, nostram tulimus, & promulgauimus sententiam diffinitiuam sub infrascripto tenore, videlicet,

CHRISTI nomine inuocato. Pro Tribunali sedentes, solùm Deum præ oculis habentes per hanc nostram diffinitiuam sententiam, quam de iurisperitorum consilio ferimus in his scriptis in causa, & causis, quæ coram Nobis versæ sunt, seu vertuntur in prima, seu alia veriori instantia inter Venerabilem Religionem, & Patres Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum in Ecclesia Sancti Hadriani de Vrbe Actores ex vna, & Venerabilem Religionem, & Patres Calceatos, & Discalceatos Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum in Ecclesijs Sanctæ Franciscæ Romanæ ad Capita Domorum, & Sancti Caroli ad Quatuor Fontes pariter de Vrbe Reos conuentos ex altera partibus de & super iure, & pertinentia legatorum relictorum, & relinquendorum sub nomine Beatæ Mariæ Redemptionis Captiuorum, & signanter super iure legati scutorum decem relicti per quondam D. Martiam Raphaeliam sub nomine Beatæ Mariæ Redemptionis de Vrbe, ex testamento sub die decima Martij 1648. seu &c. per ipsam condito, & in actis producto de mense Decembris proximè præterito pro parte Dominæ Catharinæ Raphaeliæ contra Dominum Andream Nuccium, & in hac causa repetito, rebusque alijs in processu causæ, & causarum huiusmodi latius deductis,

ctis, ad quæ &c. vndè visis &c. auditis &c. consideratis &c. Dicimus, pronunciamus, sententiamus, decernimus, diffinimus, & diffinitiuè declaramus præfatæ Venerabili Religioni, & Patribus Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Calceatis, & Discalceatis nullum Ius, nullamque actionem competijsse, nec competere pro præfato legato relicto per dictam quondam Martiam Raphaeliam sub dicto nomine Beatæ Mariæ Redemptionis de Vrbe, nec pro alijs quibuscumque legatis, seu relictis factis, seu imposterùm faciendis sub dicto nomine Beatæ Mariæ Redemptionis, dictaque legata, seù relicta tàm facta, quàm quomodolibet, & quomodocunque, & qualitercunque imposterùm facienda vt supra sub nomine Beatæ Mariæ Redemptionis spectare, & pertinere priuatiuè quoad dictam Venerabilem Religionem Sanctissimæ Trinitatis ad Venerabilem Religionem, & Patres Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum in dicta Ecclesia Sancti Hadriani de Vrbe. Molestationes, vexationes, perturbationes, & impedimenta per dictos Patres Calceatos, & Discalceatos dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis dictis Patribus dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede super prædictis quomodolibet præstitas, & illatas præstita, & illata fuisse & esse illicitas, iniustas, & de facto datas, illicita, iniusta, indebita, & de facto data; Et proptereà super præmissis eisdem Patribus Aduersarijs perpetuum silentium imponendum fore & esse, prout imponimus. Et ità dicimus, pronunciamus, sententiamus, condemnamus, diffinimus, atque diffinitiuè declaramus non solum prædicto, sed omni alio meliori modo &c.

Ita pronunciaui Ego Marcellus Melchiorius Locumtenens.

Quæ omnia, & singula præmissa vobis omnibus, & singulis supradictis intimamus, insinuamus, notificamus, & ad vestram notitiam deducimus, ac deduci volumus, & mandamus per præsentes, ne vllo vnquam tempore ignorantiam aliquam, siuè contumaciam allegare, seù quomodolibet in futurum prætendere valeatis. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Aedibus nostris Anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo, Indictione quinta, die

die verò decimanona mensis Nouembris, Pontificatus D.N.D.Innocentij diuina prouidentia Papæ Decimi anno Nono.

M.Melchiorius Locumtenens.

Loco † sigilli.

Iacobus Simoncellus Curiæ Cauſ.Cameræ Apoſt.Not.

Imprimatur,

Fr. Vincentius Fanus Socius Reuerendiſs. P. Mag. S. Apoſt. Pal.

ROMÆ, Ex Typographia Reu.Cameræ Apoſt.
M.DC.LII.
Superiorum permiſsu.